



Revista de Filosofía Open Insight

ISSN: 2007-2406

openinsight@cisav.org

Centro de Investigación Social Avanzada
México

Redmond, Walter

"ALIQUID INTER NOS FIERI POTUIT". SARTREUS ET DEUS

Revista de Filosofía Open Insight, vol. IV, núm. 10, julio-diciembre, 2015, pp. 199-206

Centro de Investigación Social Avanzada

Querétaro, México

Disponible en: <http://www.redalyc.org/articulo.oa?id=421640696010>

- Cómo citar el artículo
- Número completo
- Más información del artículo
- Página de la revista en redalyc.org

redalyc.org

Sistema de Información Científica

Red de Revistas Científicas de América Latina, el Caribe, España y Portugal

Proyecto académico sin fines de lucro, desarrollado bajo la iniciativa de acceso abierto

"ALIQUID INTER NOS FIERI POTUIT" SARTREUS ET DEUS

Walter Redmond

Austinopoli in Texia,

Statibus Foederatis Americae Septentrionalis

wbredmond.wr@gmail.com

Summarium

Sartreus Deum censuit tum in-se esse tum pro-se, quos tamen essendi modos conjungi nequire. Ejus vero descriptio exponi potest sensu orthodoxo, immo talis "synthesis idealis" non modo non sibi repugnat (quod ope logicae recentis patebit) sed ultro esse divinum prae se fert tamquam necessarium et liberum.

Verba praecipua: atheismus, Deus et logica, existentialismus, Johannes-Paulus Sartreus, logica modalis.

"ALGO PUDO HABER PASADO ENTRE NOSOTROS" SARTRE Y DIOS

Resumen

Sartre describió a Dios como una integración imposible del ser-en-sí y ser-para-sí. Su descripción sin embargo puede interpretarse en sentido ortodoxo; más aun, tal "síntesis ideal", lejos de ser inconsistente (su consistencia se ve en la lógica actual), exhibe el ser divino como necesario y libre.

Palabras clave: ateísmo, Dios y la lógica, existencialismo, Jean Paul Sartre, lógica modal.

"THERE COULD HAVE BEEN SOMETHING BETWEEN US" SARTRE AND GOD

Abstract

Sartre described God as an impossible integration of being-in-itself and being-for-itself. His description is however capable of an orthodox interpretation; indeed this "ideal synthesis, far from being inconsistent (its consistency emerges in current logic), portrays the divine being as necessary and free.

Keywords: Atheism, Existentialism, God and Logic, Jean Pauls Sartre, Modal Logic.

Aujourd'hui quand on me parle de [Dieu],
je dis avec l'amusement sans regret
d'un vieux beau qui rencontre une ancienne belle:
"Il y a cinquante ans, sans ce malentendu,
sans cette méprise, sans l'accident qui nous sépara,
il aurait pu y avoir quelque chose entre nous"
Sartreus¹

Johannes-Paulus Sartreus rationem proposuit *positivam* ad monstrandum Deum non esse. "Positiva", inquam, cum talia ratiocinia atheistica sint rara. Multo enim crebriores sunt impugnationes existentiae Dei a doctis velut Feuerbach vel Freud oblatae, qui, Deo non esse praesumpto, rationem reddere voluerunt cur homo religiosus in eum crederet (utputa cum e propria indole abalienatus esset vel, neuroticus, patre succedaneo indigeret). Auctor vero recentior Dean Hamer fidem religiosam suggessit in "geno-Deo" (VMAT2) inlaqueatam esse.² Logica vero talium rationum difficultas est quod existentia Dei cum alienationibus dementiisque nostris congruit, immo cum nostro genomate.

In-se ac pro-se

Argumentum Sartreanum distinctione innititur inter duos essendi modos: esse-in-se atque esse-pro-se.³ Objecta mundi-in-se conscientia et libertate carent; quidquid autem est pro-se cognoscit cogiturque eligere, prout praeditum cujusdammodi mente ac voluntate. Sartreus esse-in-se et esse-pro-se ut "optimam synthesim" concepit, quorum tamen conjunctio sive "integratio" semper permanserit impossibilis.

1 "Hodie, cum de [Deo] mihi loquitur, dico, facete nec paenitenter, de vetere voluptario qui quondam amicae occurrit: 'abbinc quinquaginta annos, sine illa aequivocatione atque offensione, sine illo fato quod nos separavit, aliquid inter nos fieri potuit'", *Les mots* (Parisiis: Gallimard, 1964), "Lire" p.87.

2 Quod ipse Hamer concedit. *The God Gene: How Faith is Hardwired into our Genes* (Novi Eboraci: Anchor Books, 2005). "Atheisticum" autem genus, opinari licet, atheum determinaret ad atheismum sicut "theisticum" theistam ad theismum; nullo igitur modo inter propositiones veras et falsas distinguere posset.

3 Deum esse in-se (*être-en-soi*) sicut "I" symbolice redditur, Deum esse pro-se (*être-pour-soi*) sicut "P", Deum esse sicut "Xd" = $\exists x(x=d)$ ubi "d" = *Deus*.

Atqui Deus, cum in-se ac pro-se esset, existere omnino nequiret; insuper et homo, esse in-et-pro-se avens ut Deus, “malam fidem” incidit.⁴ Quod simplex racioncinium, ex duabus praemissis constans unaque conclusione, sic liceat exponi:

necessarie: Deus, si fuerit, in-se ac pro-se erit
 non potest fieri ut Deus sit tum in-se tum pro-se
 ergo
 Deus esse non potest.⁵

De hac ratione tria sunt dicenda. Primo, plene cum logica modali (logica possibilitatis et necessitatis) congruit. Secundo, theistae primam praemissam legere licet, immo oportet, modo orthodoxo. Deus enim translaticie visus est et pro-se et (quodam saltem sensu) in-se. Ex eo *pro-se* est quia est *liber* (creare aut non creare) et *contingens* (*contingit* creare; hoc est, non creat necessario). Deus est *in-se* saltem tamquam logice *contrarius* modo essendi-pro-se: scilicet Deus est tum “*non-liber*” (puta, Deo haud liberum est decernere nonjam esse “imitabilem ad extra”),⁶ tum “*non-contingens*” (namque Deus haud creat “incontingenter” seu necessario). Sartreus autem quae in-se sunt putavit *contingere esse*; suus atheismus igitur ab atheismo vulgari (ubi mundus aliquo modo necessario vel infecto existere fertur) radiciter (simul et feliciter) distat consonatque theismo. Tertio, theista, prima praemissa tamquam orthodoxa accepta, secundam tamen negabit propterea quod duo essendi modi, nempe pro-se et in-se, *minime sibi repugnant*.

4 “Tout se passe comme si le monde, l’homme y l’homme-dans-le-monde n’arrivaient à réaliser qu’un dieu manqué. Tout se passe donc comme si l’en-soi et le pour-soi se présentaient en état de désintégration par rapport à une synthèse idéale. Non que l’intégration ait jamais eu lieu, mais précisément au contraire parce qu’elle est toujours indiquée et toujours impossible.” *L’Être et le néant*, (Parisiis: 1943), p. 717; “Mauvaise Foi”: parte 1, cap. 2.

5 $\Box[X \supset [I \wedge P]]$ et $\sim \Diamond[I \wedge P]$; ergo $\sim \Diamond X$, ubi “ \sim ” = *non*, “ \supset ” = *si...tunc*, “ \wedge ” = *et*, “ \Box ” = *necesse* “ \Diamond ” = *possibile*.

6 Deus quidem “sui-conscius” fertur esse necessario per “simplicem intelligentiam”; per “visionem” tamen res creatas cognoscere contingenter.

Characteres necessarii et contingentes

Videamus quomodo res logice se habeat. Rebus characteres (proprietates, “essentiae”) et necessarii et contingentes conveniunt (quod non est nisi scholastica “predicabilium” doctrina vel Kantiana “judiciorum” divisio).⁷ Socrates scilicet, si non calveret, esse pergeret, minime tamen si “homo” non diutius esset; calvitium quidem est character contingens, necessarius tamen humanitas.

Deus idcirco est in-se ac pro-se (nostro sensu sumptum) quia hi characteres ei sunt necessarii; immo ipsum esse, Deo, cum non esse nequeat, est necessarium:

“necessario: Deus, si omnino est, necesse est esse”.⁸

Facultas creandi Deo necessario convenit, non autem ipsum creare, nam “deus” qui creare nequit vel oportet non est Deus. *Contingit* potius Deum creare --ut Sartrei exemplo utar, certam castaneam arborem actualem facere-- et quidem hoc sensu:

Deus castaneam creat sed non “cogitur” castaneam creare
(seu potest fieri ut eam non creet),

ob id ipsum quod castanea

est sed haud necesse (seu potest non esse).⁹

7 praedicabilia Scholastica			judicia a Kantio descripta	
praedicata {	ut partes essentiae (genus, species, differentia			analytica }
	{ necessaria: “proprium”	a-priori }	judicia	synthetica }
	{ non-essentialia {	(utrobique=oratio scientifica)		
	{ contingentia: accidens	a-posteriori }		

8 $\Box[Xd \supset \Box Xd]$. Ex quadragesimis prioris saeculi annis haec propositio in nonnullis argumentis existentiae Dei demonstrandae inclusa est, velut illud Caroli Hartshorne, *Man's Vision of God and the Logic of Theism* (Chicagiae: Willett - Clark, 1941) et *The Logic of Perfection, and Other Essays in Neoclassical Metaphysics* (LaSalle, Illinoisiae: Prelum Open Court, 1962). Ex hac praemissa, altera ($\Diamond Xd$) adjecta, concluditur (in systemate modali S5) Deum esse necessario ($\Box Xd$).

9 (Ubi \mathbf{Ac} = Deus castaneam “actualem facit” seu creat $\mathbf{Ac} \wedge \Diamond \sim \mathbf{Ac}$ (aequiparat cum $\mathbf{Ac} \wedge \sim \Box \mathbf{Ac}$) par est cum $\mathbf{Xc} \wedge \Diamond \sim \mathbf{Xc}$ (sive $\mathbf{Xc} \wedge \sim \Box \mathbf{Xc}$).

Distinctio notanda est inter hanc contingentiam (ut ita dicam) *Sartreanam* ("castanea est sed potest non esse" vel "non necesse est esse"-- hoc est, "contingit ut castanea sit") et contingentiam *logicam*: "possibile est ut castanea sit estque possibile ut non sit"-- scilicet: "contingens est logice ut castanea sit").¹⁰

Contingentia Sartreana evadit conditio modalis non solum castaneae verum etiam ipsius Sartrei omniumque rerum creatarum.

Nausea ontologica et necessitas contingentiae

Sartreus multa de contingentia disseruit in pernota fabula sua *Nausea*, ubi antiheros Antonius Roquentin, in taberna caffearia sedens castaneam vidit in platea adstantem.¹¹ Ei --radices arboris contemplanti nigras, taetras, tumidas--, illico occurrit quoddam spectrum philosophicum in quo arbor *obscena* ei visa est-- nam *adstat quin necessario adstet!*¹² Ipsa castaneae contingentia --quasi "absurdum fundamentale"-- eum affecit *nausea*, et exclamavit:

quod essentiale est-- est *contingentia*... quin etiam est id quod est *absolutum*!¹³

Itaque modalis castaneae compages (omniumve rerum creatarum) ex *duobus* statibus rerum constat:

- 1) "castanea est" — status rerum *actualis*
- 2) "possibile est castaneam non esse" (status *possibilis*), qui status aequivalet huic: "non necesse est castaneam esse" (status *innecessarius*).¹⁴

¹⁰ Contingentia Sartreana: $Xc \wedge \Diamond \sim Xc$ (aequivalet $Xc \wedge \sim \Box Xc$). Contingentia logica: $\Diamond Xc \wedge \Diamond \sim Xc$ ($\Diamond Xc \wedge \sim \Box Xc$) quae sicut " ∇Xc " symbolo contrahitur ("est contingens logice ut castanea sit").

¹¹ "*La nausée* (Parisiis: Gallimard, 1938) Mercredii, 6 heures du soir.

¹² $Xc \wedge \sim \Box Xc$ vel $Xc \wedge \Diamond \sim Xc$.

¹³ "*L'essenciel c'est la contingence... c'est l'absolu*", ibidem.

¹⁴ Contingentia "Sartreana": Xc et $\Diamond \sim Xc$ ($\sim \Box Xc$).

Roquentin igitur ea quae sicut castanea in-se sunt pervidit esse contingentia, perperam vero adjunxit contingentiam esse “absolutam”.

Cujus ratio est quod *ipsa possibilitas* ut castanea non sit est *necessaria*; immo *ipsa contingentia logica est necessaria*. Nam insigne proprium systematis modalis S5 quod vocatur, pro “ontologice rato” ex more habiti, est quod ipsa *modalitas* (necessitas, possibilitas, contingentia logica) est *necessaria*. Haec doctrina, scilicet necessitas contingentiae (logicae), haud novella est, nam apud logicos scholasticos inveniebatur non minus quam apud theologos traditionis “exemplarismi”.¹⁵

Unde ontologica castaneae indoles duplicem habet aspectum modalem:

- 1) statum rerum *actualis*: “castanea est”
- 2) statum rerum logice *necessarius*: “possibile est ut castanea non sit” (*necesse* est enim ut castanea non esse possit (vel *necesse* est ut non oporteat esse)).¹⁶

Hi duo status rerum diversimode ad Deum se habent:

- 1) status actualis (“castanea est”) ad liberam *voluntatis* actum divinum refertur
- 2) status necessarius (“castanea potest non esse”) ad intellectum divinum necessario refertur quia haec ipsa possibilitas (ut castanea non sit) est necessaria.

¹⁵ Vide Redmond, *Deus et logica* (Mexici: Prelum Porrúa, 2014), L4.232. Sartreus “redinventio-nem” logicae modalis ignorabat, cuius syntaxim C. I. Lewis efformaverat, *A Survey of Symbolic Logic* (Berkeley: Prelum Universitatis Californianae, 1918), sequens H. MacColl, *Symbolic Logic and its Ap-plications* (Londini: Longmans et Greene, 1906), et cum C. H. Langford, *Symbolic Logic* (Novi Eboraci: Century, 1932); doctrinam autem semanticam descripserunt Stig Kanger, “The Morning Star Paradox” (*Theoria*, 23, 1, mense Aprili anni 1957, 1-11); Saul Kripke, “Semantical considerations on modal logic” (*Acta Philosophica Fennica*, 16, 1963: 83-94); Jaakko Hintikka, *Models for Modalities/ Selected Essays* (Dor-draci: Reidel, 1969).

¹⁶ Status actualis: $\Box \Diamond \sim \mathbf{Xc}$; status necessarius: $\Box \Diamond \sim \mathbf{Xc}$ ($\Box \sim \Box \mathbf{Xc}$).

Roquentin itaque recte dixit (omnem) existentiam ut necessitatem non definiri, perperam vero adjuxit nullam necessitatem rationem reddere posse existentiae.¹⁷

Patet etiam, cum possibilitas quod castanea sit sequatur ex ejus esse actuali (scilicet, quod sit actualiter), existentiam arboris esse *logice* contingens:

- 1) necessario: possibile est ut castanea sit
- 2) necessario: possibile est ut castanea non sit.

Praeterea, *necessitas* ipsius contingentiae ut talis affirmanda est.¹⁸ Patet ergo contingentiam (aut logicam aut Sartreanam) nequaquam esse absolutam (nedum illum absurdum fundamentale). Actualis quidem castaneae existentia ex voluntate libera divina pendet, contingentia tamen logica ejus ex ipsa intellectionis divinae necessitate.

Dictum denique auditur

Sartreo inest cavum deiforme.

Cavo autem expleto, Sartreus plus theologus videbitur quam atheologus.¹⁹

¹⁷ “Je veux dire que, par définition, l’existence n’est pas la nécessité... Or, aucun être nécessaire ne peut expliquer l’existence...”, ibidem.

¹⁸ Copulatio $\Diamond Xc \wedge \Diamond \sim X$ (cum $Xc \supset \Diamond Xc$, secundum illud: “ab esse ad posse valet illatio”) affirmanda est; quoque et $\Box \Diamond Xc \wedge \Box \Diamond \sim Xc = \Box \nabla Xc$.

¹⁹ Inter alios vide James W. Sire, *The Universe Next Door* (quarta editio, Downers Grove, Illinoisiae, IVP Academic 2004). Sartreus puer Abbati Dibildos in classe catechistica attentissime aurem prae-buisse videtur (*Les mots*, p. 85)!